

SCAEVOLA 2
LUCIDATUS.

SEU PARAPHRASIS
AD LEGEM GALLVS:
DIG. DE LIB. ET POSTVMIS.
AVCTORE

ANGELO SPANNOCCHIO
L. C. PATRITIO Q. SENEN.

Ac in Perilluini Schoe Bonon. Iuris Ciuilis
Professore Primario.



BONONIAE, Apud Io. Bossium. MDXXCVII.
Curia Archiepisc. & Inquisit. Concessu.

2 400 40

Saha

SCAEVOLA
LUCIDATUS.

SEV PARAPHRASIS
AD LEGEM GALLVS:
DIG. DE LIB. ET POSTVMIS.
AVCTORE

ANGELO SPANNOCCHIO
L. C. PATRITIOQ. SENEN.

Acin Perillustri Schola Bonon. Iuris Ciuilis
Professore Primario.



BONONIAE, Apud Io. Rossium. MDXXCVII.
Curie Archiepisc. & S. Inquisit. Concessu.

3

ILLVSTRISSIMIS

BONIFATIO ET ANTONIO

CAETANIS.

S. P. D.

ANGELVS SPANNOCCHIUS.

I. C. SENENSIS.



PLACVIT mihi semper ille Stylus le-
gum exponendarum, quo fiat Legis-
latoris ipsius perspicua sententia;
& minimum recedatur à verbis.

Hoc autem facile præstare solet;
accurata & plena cuiusq; loci Paraphrasis. Quo scri-
bendi genere, optavi iam diu Pandectarum leges om-
nes elucidare, more minime peruulgato: & multas
quidem ex illis mihi videor explicuisse ad hanc usq;
diem; quas forte publici iuris quandoq; faciam. In

AA 2 terim

scribam editurus Paraphrasim quam ad l. Gallus con-
feci; deo vobis animi mei propensionem significare,
quos unice diligo. Quis autem non diligeret Cae-
tanam pubem; in qua velut herba fragrante, spes
potius Reipub. videtur esse reposita? quis non amaret
generosam istam animi vestri celsitudinem, cuius ad-
miratione orbis prope iam uniuersus, nescio quid sum-
mum ac caeleste sibi de vestra virtute promit-

tit? Accipite igitur vos à me munu-
sculum hoc qualecunq; sit, ea
hilaritate, ac benignitate,
qua me ipsum pro-
sequi soliti
estis.

Et Scauolam copiosius quam an-
te loquentem audite.

Dat. Bonon.

A. D. MDLXXXVII.



SCAE

SCAEVOLA LUCIDATUS,
SEU PARAPHRASIS

ad l. Gallus. Dig. de lib. & post.

Scauola libro Sexto Quaestionum.



ET VESTISSIMO duodecim ta-
bularum iure, tanta fuit apud
Romanos testandi licetia; vt
ne liberorum quidem oportu-
erit tunc haberi ratio; si-
nè nati iam essent siuè mox sperarentur quia
imò & exheredari & præteriri silentio potue-
runt, qui eo iure potuerunt etiam occidi.
Prudentum verò auctoritate paulatim rece-
ptum fuit, vt qui natum filium omitteret, in-
tiliter testaretur: quoniam hæc filio præroga-
tiua dabatur, vt omissus valere non sineret te-
stamentum, si suus erat. Filia verò, & cæteri
omnes liberi præter filium licet sui existeret,
omissi nihil testamento nocebant; sed scriptis
adcredebant hæredibus: suis quidem in viri-
lem, extraneis verò in dimidiam portionem
Credendum est autem ob id præcipuam fecisse
Prudentes filiorum causam, quòd à Solone
olim scriptum fuerat, Cui voluerit quis, bona sua

AA 3 dandi

dandi, nisi filios habeat, ius esto. Vnde mox Decemviri videntur illud sumpsisse, *uti quisq; legasset suæ rei, ita ius esto.* Sed & nondum nati liberi, qui tamen sui essent etiam in ventre, si uè filij, siue nepotes, aut deinceps, eandem meruere prerogatiuam: ut qui eos omitteret; quamuis ritè ac solemniter, non tamen omnino cautè testaretur; præteriti enim nascendo rumpebāt. Sed quia Prudentes tale periculū parauerant testamentis, iidem testatoribus præstitere remedium: liberum enim eo iure fuit prædictum euitare periculum; aut instituendo aut nominatim exhæredando filium natum, aut nasciturū cuiuscunque gradus, in sinitate masculos, fœminas verò etiam inter cæteros adiecto legato. Tunc ergò cœpit pro testatorū solemnitate desiderari horum tantummodo liberorum institutio, vel exhæredatio. Et quamuis eadem in natis statim testamento proficeret, & illud planè muniret; in postumis tamen suis tunc tantum proficiebat cum mortuo iam testatore, nascerentur, & in hunc solum casum eam scribere cōcessum erat. Nequè id quidè malè, cum si uiuo prodirent, facultas esset iterum testandi cau-

tius

eius, si quis maluisset. Et hæc fuerat quidem ciuilis obseruatio ut à facultate rumpendi arcerentur qui testamenti tēpore sui erant; tam nati quàm nascituri. Porro autem tanta fuit eo ipso iure Ciuili, sinitatis præstantia; ut quicumq; liberorū dū q̄s testabatur, sui nō erant; fierent tamen ex casu sui post testamentum, vel nascendo, vel in locum sui succedendo, omnino testamentum euerterent: adeò quidè ut neq; institutionis aut exhæredationis remedio defenderetur. Nec enim eo iure licuit futurę sinitatis præuidere casus, dum scribatur elogium; neq; aduersus illos præmaturum adferre remedium. Quòcircà misera tūc erat testantium ferè omnium conditio: nam quandiu ius illud obtinuit, non potuere parentes propria testamenta munire aduersus postumos, qui sui erant, si uiuis ipsis nascerentur; neq; aduersus postumos nepotes, quandocunque prodirent in lucem; nequè itidem aduersus nepotes, ac deinceps iam natos liberos, quos alij præcederent; quandocunque uiuentibus ipsis testatoribus in suorum iura uenirent. Quia tamen piūm erat, & naturæ cōsentaneum, ut nouissima morientium volun-

AA 4 tas

tas seruaretur: quòd & lex x i i. tab. cēsuerat, visum est postea quibusdam veterem illam instituendi, exheredandiue cautionem ad vetitos etiam casus extendere, vt possent parentes in futurum quoq; tempus suis prospicere testamentis, quamuis prēmaturè, quamuis ominosè, quamuis in fraudē liberorū. Quares eò maiorem habuit æquitatem, quòd testandi negocium per se quidem grauissimum nō ita explicabatur comodè; vt passim & vbi què posset quis eo se iterum implicare, quamquam cupidè vellet. Et primus sanè omnium

I. Gal
lus a-
quil.
GALLVS AQUILVS, Mutij Pontificis auctoritas, & Seruij Sulpirij præceptor magnæ vir auctoritatis, & cuius opera Populus (Roma adhuc libera) in cauendo non in decipiendo utebatur; x i i. tab. mentem, & æquitatis rationem amplexus: cæpit tam cōsulendo, quàm interpretando testatoribus suadere, vt nepotes nondum natos, filio adhuc viuento excluderent à rumpendo; quod sanè tamquam prēmaturè cogitatum ciuili iure nō licuit: sicq; paulatim induxit in forum, vt liceret testatoribus futurum hunc casum prospicere, quo nepos postumus suus fieri posset

&

& rumpere. Nec tamè omnino recessit Gallus à iure Ciuili Prudentum; quin potius illud aliqua saltem ex parte secutus est: nā quemadmodum sui tūc postumi instituti aut exheredati rumpere vetabantur, si mortuo non si viuo testatore nascerentur: sic & Gallo placuit postumos non dum suos excludere; si contingeret eos nasci suo mortuo testatore non autem si eo viuento. Idquè similiter institutionis, aut exheredationis ope; cuius ipse certam composuit, ediditq; formulam (quipè q̄ noua res erat, & vulgari modo non poterat expediri) qua mediante casus ipse describeretur, quo testamentum iniquè periclitabatur: eamque formulam conceptis verbis in hunc modum edidit, *Si filius meus viuo memorietur; tunc si quis mihi ex eo nepos, siue què nepotis post mortem meam, in decem mensibus proximis, quibus filius moreretur; natus, nata erit, heredes sunt.* Hęc autem cautio quia æquitatem habuit, & fuit Populo utilis, statim recepta est vltu forensi: & non recepta solum; sed etiā interpretationibus, & extensionibus illustrata in hunc vsq; diem. Nonnulli. n. eam admittendam censent, non tantum expresso casu

Quidā
rectè.

de

de morte filij, sed etiam si nihil de ea dicatur.
Et scribatur simpliciter in hunc modum.
*Si quis mihi nepos, siue qua neptis, post mortē meā
natus natus erit; esto.* vt sic proficiat tunc testa-

S mento, quando casus ille contigerit quē ver-
Idem **ba** referunt: quod & mihi placet. Quamuis
cre- **autem** cautū voluerit Gallus aduersus nepo-
déd. **tem** postumū (de quo credendum est expres-
sisse illum, quasi frequentius timeretur quā
pronepos) contenderem ego tamen sensisse
ipsum & de pronepote; vt sic & proauus eadē
cautione sibi contra pronepote[m] prospiciat,
non solum si mortuus sit iā filius viuatq; ne-
pos, ex quo pronepos timeatur, quo casu re-
ctē dixerit *Si me viuo nepos decedat, tunc qui pro*
Sed & **nepos, &c.** Sed etiam è contra si mortuo ne-
si. **pote** viuat filius & timeatur pronepos quo ca-
su itidem rectē dixerit *Si me viuo filius decedat*
Num si. **tunc qui pronepos &c.** At verò si viuat vterquē
s. filius & nepos, ex quo nasciturus timeatur
pronepos; nunquid dicemus vtilem fore cau-
tionem hunc in modum *Si me viuo filius &
nepos decesserint, tunc qui pronepos &c.* Et qui-
Idem si. **dem** hoc itidem admittendū existimo; dum
tamen hoc casu, turbato naturæ ordine, præ-

MO-

moriatur nepos: tunc enim probè utilis erit
adhibita cautio; cum filius omnium primus
ex iure ciuili supponat[ur] institutus in alia testa-
menti parte, atquē ideò nequeat rūpere: con-
trā verò si prior filius decederet, testamen-
tum in nepotē frangeretur viuentē, qui antè
legem Velleam (de qua mox diceretur) non po-
terat declinari; sed omnino succedens in lo-
lum patris sui, rupturus erat, siuè ommissus, si-
uè exhæredatus, siuè etiam institutus fuisset. **S**
Cæterum quia Gallus dū exprimit de mor- Et qd
te filij videtur ad naturalem respicere; quid di si tū.
cemus si ciuilis acciderit, siuè occurratur ne-
poti, siuè pronepoti, secundum ea quæ dixi-
mus? Pone. n. dum nepoti occurratur nascitu-
ro, si filius aquæ & ignis interdictione feria-
tur, si emancipetur: nunquid nepos auo mor-
tuo natus testamentum euertet ceu non com-
prehensus in formula? Pone itidem dum oc-
curritur pronepoti, secundum ea quæ dixi-
mus, si nepos ipse cum solus est, vel saltem
prior si & filius viuat, à potestate patria li-
beretur emancipatione, similiter aut de porta-
tione: nunquid pronepos mortuo demū pro-
auo natus videbitur exclusus à facultate rum-
pendi

pendi, quasi venerit in iura suorum, aliter?
 Hi eni. quam per mortem præcedentium? Certum
 est. n. huiusmodi casus ad Velleam non per-
 tinere; sicut neque alius vllus pertinebit, quo
 nascatur suus heres quisquam auo iam mor-
 tuo: si quidem voluit ipsa, illos non rumpe-
 re qui viuo testatore nascatur. Sed neq; à Gal-
 li formula videntur comprehendi, quæ natu-
 ralem exprimit mortē. Est nè ferendum igi-
 tur quòd hoc imminens testamento periculū
 non habeat ex equitate remedium? Planè pro-
 bandum est, quòd omnes huiusmodi casus
 tametsi verbis non contineantur, admitti ta-
 men debeant ex Galli spiritu aut Velleæ sentē-
 tia, ad mortis similitudinem; cum saltem ge-
 neraliter induxerint vt sibi testatores cauere,
 possint à quocunquē rumpendi periculo; ni-
 si. n. ita dicamus futurum erit vt plerunq; om-
 nis cautio deludatur, emergente casu qui nō
 sit verbis expressus. Ecce. n. si quis filium ha-
 beat apud hostes, & nepotem ex eò nascitu-
 rū in Ciuitate timeat: quare non induxit Gal-
 lus, quare non admisere Prudentes, vt si filius
 apud hostes decederet, non solum auo viuen-
 te, sed etiam eo mortuo, tunc nepos nascens
 non

non rumperet institutus vel exheredatus? Iti Velleiā.
 dem quare nō placuit, vt etiam filio viuento
 apud hostes, & auo in ciuitate; si nepos auo
 tantum mortuo nasceretur non rumperet?
 etenim neq; hic casus ad Velleam pertinet; vt
 quæ viuo tantum auo nascentem nepotē ex-
 cludit. Quid ergò dicemus? haud sanè como-
 dum videtur inhærere formulæ verbis; quæ
 tametsi mentē Galli perspicuē possent ad hu-
 iusmodi casus porrigere; non tamen vsquē
 adeò tutum esset hanc subire disputationem.
 Ergò melius erit in hac testamētorum utilita-
 te (cui præsertim lex Vellea semper incubuit, ^{Melius ergo.}
 multos auferendo casus, quibus testamenta
 possent euerti) melius inquam, & comedi-
 us erit ita interpretari Galli consiliū; Vt quicun-
 quē nasciturum sibi mortuo nepotem insti-
 tuat vel exheredet; sibi satis prospexisse vide-
 tur vtiliter, quocunquē casu contingat nepo-
 tem ipsum sibi mortuo suum heredē nasce-
 do fieri, & rumpere posse præteritum; atquē
 etiam vt sibi abundè cauerit si generaliter di-
 xerit *quicquid mihi liberorum natū erit post mor-
 tem heres, aut exheres esto.* aut etiam genera-
 lius notauerit *quicunq; natus fuerit post mortem*

si suus nascetur, heres esto. Vis. n. horū verborū plenissimam continet cautionem, siuē nepos siuē pronepos, aut deinceps mortuo sibi, in ^S *Sic* siuitate quomodocunquē nascatur. Atqui si ^S *qui si-* filium habeas, & ex eo nepotē nasciturum ^S *lium.* meas, atquē ob id instituas illum aut exheredes, mox nurus pregnās ab hostibus capiat, ibiquē pariat viuo te, maritoquē eius in ciuitate; deniq; vobis mortuis redeat nepos apud hostes editus; ambigi solet an hic casus à Vellea pendeat, an ad antiquūius Ciuile pertineat; quo licuit etiam antē Gallum scribere suos in ventre; ne quando rumpere si testatore mortuo nascerentur, sicq; dubitabitur an hic nepos reuersus excludatur à rumpēdo per Ius antiquum, an verò per legē Velleam?

^{Quod} ^{quæren-} ^{dum.} Quod genus quæstionis tunc proponetur aptius, si filio iam in ciuitate mortuo, ponatur scriptus nepos, aut certe pronepos apud hostes; scilicet filio atq; nepote prius in ciuitate defunctis vel emancipatis: nam tunc si veritatē sequamur, videbitur casus legis Velleæ; quia natus est nepos testatore viuente; si postliminium spectemus videbitur, casus antiqui iuris, quia demum testatore mortuo re-

dit

dit, & quasi nascitur. Contrà verò si filio iam viuente supponatur institutus, vel exheredatus; quærendum potius videbitur, an ad Gallum pertineat, vel ad Velleam, cum reuersus patre & auo mortuis non rumpet? vt si veritatem sequamur ad Velleam, si postliminium spectemus ad Gallum sit magis exclusio referenda. Ceterum quoniam illud constat hūc ^{Sed d.} reuersum non rumpere, parum refert quo iure excludatur; Ciuili nē; an Velleæ legis, aut Aquiliana prudentia. Et hæctenus quidem receptæ sunt plures interpretationes Aquiliana formulæ; vt ita casus ferè omnes videantur comprehensi, quibus non dum natus testamenti tempore, prohibeatur à rumpēdo si nascatur post mortem testantis; præsertim verò si ita scripserit, *Quicquid liberorum nascetur post mortem: aut Quicumque suus mihi mortuo nascetur, esto,* Verum enimvero ijs ipsis conceptionibus verborum adhibitis, nō ab re dubitauerit fortē quisquam nunquid ipsa compleatur cautio in personam nepotis postumi primum nascētis; ita vt deinceps alijs postea nascituris non officiar; tametsi sui heredes mortuo testatore nascantur: an verò perseue-

ret ulterius ad omnes excludendos qui sui hæredes mortuo testatore nascantur? ut ecce si quis nasciturus ex filio nepotæ scripserit, secundum ea quæ diximus, mox nascatur nepos patre simul & auo viventibus; qui deinceps uxorem ducat, ex eaq; concipiat testatori pronepotem; ac postea primus omnium moriatur, deinde post ipsum pater eius, hoc est testatoris filius decedat, nouissimè fatum impleat testator, eoq; mortuo nascatur in suite pronepos: nunquid iste non videbitur testamentum comprehensus, quasi testator solum nepotem timuerit dum testabatur, in quo mox caute la defecit? an inquam eadem generalis institutio vel exhereditatio, ad hunc pronepotem extendetur vtiliter, quæ in personam nepotis non consumauit effectum, sed euauit, & nullius est facta momenti? Et quidem formidolosus quisq; testator verebitur, ne fortè in hunc modum adferatur inuitabilis quædam suo testamento plaga per eos, qui sibi mortuo nascantur; quorum ne patres quidem erant concepti dum is testabatur. Verum minimè hoc expauescendum existimo, quoniã illud constat pronepotem illum nasci suum; & testatore

statore mortuo nasci; qui duo erant obices, quibus ex Galli consilio prospicitur. *Quamobrem* ^{Ergo & h.} admitteretur hic pronepos in presenti disputatione, tanquam à testatore præcogitatus vtiliter, ne rumpat, non quidem quasi patris sui locum & iura subeat; qui verè nõ fuit formula comprehensus: sed quasi à pronepo adoptatus fuerit, tanquam ex filio suo sibi natus; cum præsertim ex nepote sit natus, qui iã supponitur mortuus, relicto patre suo, § hoc est testatoris filio viuento. *Porrò* ^{In omnibus.} autem In quocunq; modo placuerit testatori non dum natos excludere, secundum omnes species supra relatas, in eum. s. casum, quo sui nascatur post mortem; illud obseruatione dignissimū est, quòd filius solus, & in potestate dütaxat, debet hæres institui omninò, non autem exheredari. Cùm enim scopus testatoris ille sit, nõ ut filiū, sed ut nascituros ex eo sibi suos impediat, ne rumpant; necesse est ut omnimodo filium aliqua saltem ex parte scribat hæredem: si. n. ommittat, iure ciuili nihil valebit elogium: si exheredem faciat, & sit ipsi superstes, adhuc testabitur inutiliter, cū reuerà huiusmodi exhereditatio sit collata post mortem BB ipsius

ipsius filij, quæ res est omni iure vetita; ac
 proindè ceu inutilis exhereditatio instar præte-
 ritionis erit, & testamentum valere nõ patie-
 tur. Quod
non. Hæc verò obseruatio rectè ad filium in
 potestate tantum dirigitur; quia si emancipa-
 tus vel aliàs sui iuris esset, frustra timeretur ci-
 uili iure: sed de solo nepote cogitare oportet,
 ex præscripto iuris antiqui, non ex Galli
 consilio. Rursus si esset apud hostes, non es-
 set omnino præcisa necessitate scribendus;
 sed posset testamentum valere quandiu non
 reuertatur: idcirco & præteri licenter pote-
 rit, & exheredari licentius. Est ergo filij na-
 ti tunc tantum institutio necessaria, cum ipse
 iura suorum habet, & cupit testator nepotem
 aut deinceps ex eo nascituros excludere; cum
 autem est de ipso tantum filio sollicitus, tan-
 tumdem exhereditatio, quantum institutio præ-
 stabit. Ei in ne-
pote. Iridem & illud rectè diximus hoc to-
 tum. scilicet in solo filio obseruari debere; quoniam
 filia, nepos, pronepos, ac deinceps nati, & iu-
 ra suorum habentes liberi; quorum liberos po-
 stea nascituros scribemus, ne rumpant, pote-
 runt impunè à nobis omitti: quia nunquam
 hæcenus fuit eorum institutio, vel exheredita-
 tio

tio necessaria pro testamenti solènitare: quip-
 pè cum ipsi hoc tantum meruerint præteritio-
 nis remedium; vt scriptis adcrecant hæredi-
 bus in portionem dimidiam, aut virilè; vt ini-
 tiò diximus. Et hæcenus de postumis non
 dū suis instituendis vel exheredandis, ne rum-
 pant, cum sui mortuo testatore nascentur.
 quæ res à Gallo primū animaduersa, passim
 postea recepta fuit & latius & apertius in fo-
 ro. Nunc videamus quomodo deinceps eadē Nunc
 excludendi licentia fuerit ad alios casus por- de le
 recta; qui adhuc post Gallum, aut præcaueri ge.
 non poterant, aut certe frustra præcaueban-
 tur. Et sanè Vellea post Gallum lata est Po-
 pulo lex, quæ plenius consuluit testatori-
 bus vt suorum hæredum periculum auerte-
 rent instituendo aut nominatim exheredan-
 do. Nãq; Gallus id tantum ostenderat quo-
 modo nepotes postumi, nõ dum sui, possent
 vtiliter euitari, si mortuo testatore nasceren-
 tur in suitate, quomodo autem, vel isti vel
 qui iam sui erant euitarètur si viuo adhuc te-
 statore prodirent in lucem: item quomodo
 possent nepotes aut pronepotes, ac deinceps
 iam nati (quos præcederent genitores) vtili-

ter euitari, si fortè viuo adhuc testatore succedendo venirent in iura suorum; neq; Gallus, nec alius quisquam hucusq; docuerat. Et tñ illud erat vulgò notum, quòd sicut in vtrumq; casum testamenta periclitabantur; ità neuter poterat vtiliter præcaueri. Nam siuè postumus iam suus, siuè qui mox suus testatore viuente nasceretur, minimè poterat institui, vel exhæredari, ne rumperet: quoniam id tunc tantum licuit cum mortuo nasceretur, nempe suus iure antiquo, nò dum autem suus ex Galli consilio dudum relato; vndè quicumq; viuo testatore nascebatur suus, etiam institutus, aut exheredatus rumpere nascendo poterat. Itidem nepos ex filio viuente natus, licet hæres scribi posset, aut exhæres; non tamen rumpere verabatur si suus postea successione fiebat: tùm quòd eo casu mutabatur eius instituendi, vel exhæredandi causa, cuius fuerat personæ condito mutata: tùm quòd crediderunt veteres auum adhuc viuentem iterum testaturum esse; vt sibi præsentius consuleret; ac proinde non licuit ei præmaturas istas subire sollicitudines; quamuis maximè futurum hoc periculum prævideret. Quò circa Velleus animad-

aduertens non facilè posse quemquam secundò testari; licet id maximè vellet, cum testandi negocium à solemnitatibus penderet exactissimis: rogauit legem æquitatis, & iustitiæ plenissimam, cuius vno, atq; altero capitibus vtriq; incommodo oportunè fuit occursum. Primùm quippe caput præstitit, vt quemadmodum ex iure antiquo, aut per Gallum nò rumpebant, qui mortuo testatore nascebantur, si scripti fuissent: ità non rumperent qui eo adhuc viuente venirent in lucem, si hæredes, aut certè exhæredes scripti in testamento inuenirentur; licet prius ne cogitari quidem potuerit in hunc casum, de huiusmodi cautione. Hoc autem primo capite non modò occursum est filio postumo; aut nepoti, vel deinceps postumis, qui sui essent in ventre, in eum scilicet casum quo viuo testatore nascerentur: sed etiam nepoti, vel deinceps postumis, qui nondum sui erant, dum fieret testamentum; in eundem scilicet casum, quo sui viuo testatore nascerentur. De quibus tamen Gallus etiam senserat ab eo tamen inductum fuerat; vt testatore mortuo nascentes non rumperent instituti, vel exheredati: non autem si eo viuo nasci

Et videtur
tur pri-
mum.

cōtingeret. Per Velleam igitur hoc primo ca-
 pite permissum est vt iidem in hunc quoq; ca-
 sum instituantur vel exheredentur, ne. s. viuo
 etiam testatore nascentes rumpant. Proin-
 de si filium habeas, & nepotē ex eo non dum
 natum scripseris, mox filius decedat, & dein-
 de viuo te nascatur nepos; quis dixerit hunc
 nepotem ex Galli consilio vetitum, quo tan-
 tū mortuo testatore nascens vetitus erat?
 Ex Vellea igitur lege dicam huic periculo oc-
 cursum fuisse; cuius quidem prior pars quam
 uis generatim occurreret postumis viuo testa-
 tore nascentibus in sūitate: dicendum tamen
 est quòd verbis ipsis continebatur quilibet ca-
 sus quo sui viuo nascerentur; siuē ipsi dum
 scribebantur, sui essent in ventre, tam filij
 quàm nepotes, & deinceps; siuē mox ex casu
 sūitatem nanciscerentur, & simili modo vi-
 uente adhuc testatore nascerentur in ipsa.
 Quid enim. Quid. n. oportuit respicere tempus testamen-
 ti faciendi, vt postumi cum sūitate considerē-
 tur, si satis fuit obseruare tempus quo nasce-
 rentur in sūitate? præsertim quia lex ipsa vi-
 detur hūc habuisse scopū, vt occurreret non
 suis simpliciter postumis; sed ijs qui sui essent
 cum

cum nascerentur. Hæc. n. fuerunt ferè verba
 eius in primo capite. *Qui testamentum faciet om-
 nis virilis sexus, is facultatem habeat instituendi,
 vel exheredandi eum qui suus hæres; ei futurus
 erit cum nascetur, etiam si se viuo nascatur.* quibus
 verbis liquidò cōstat postumis occursum
 fuisse per legem; etiam si viuo parente eo-
 demq; testatore nascantur. Secundo autem §
 capite non adtulit Vellea remedium contra Secon-
 dum postumos, quibus iam satis occursum erat in
 quemcunq; casum, quo sui nascerentur: sed
 natos liberos tantū studuit à rumpendo ve-
 tare; non quidem dum sui sint testamēti tem-
 pore (quippè quòd tunc si filius sit, vetatur ip-
 so iure ciuili Prudentum: si nepos aut dein-
 ceptus, potest & potuit omitti semper impunè
 cum habeat iuris ad crescendi remedium) sed
 dum in aliorum locum succedendo, sūitatis
 iura consequentur. Quo casu antè Velleam
 non potuerant villo iure vetari, quamuis in-
 stituti vel exheredati fuissent, siquidem in il-
 lum casum instituebantur vel exheredaban-
 tur incassum pro testamenti cautela. Hæc
 igitur fuit secundi capitis sententia, vt nati
 succedentes, in iura suorum post testamen-

tum adhuc testatore viuente; rumpere non valeant, si scripti reperiantur, licet prius impedi propterea non potuissent. Eius verò sententiæ interpretatio clarescet exemplis: si enim filiū & ex eo nepotem habeas iam natum, & filius te viuo, post testamentum decedat; nepos in locum filij succedens, nō rumpet, si scriptus erit. Rursus si filiū & nepotem ac pronepotem habeas natos, filius, & nepos te adhuc viuente decedant; scriptus pronepos veniens in iura suorum, non poterit euertere testamentum. Et verba sanē legis eas habuere vires, vt nihil adijciendū fuerit eorum, quæ nos ex bono & equo suppleuimus in Agliana sententia. Etenim cū Gallus expressim de nepote notaret, fuit addendum etiam de pronepote: itidem cū is de morte filij loqueretur; addidimus etiā casus quibus aliter quā per mortem à suitate remoueretur. Hic verò huiusmodi additiones minimè sunt necessariæ, quoniam optimè continentur in verbis ipsis, quæ ita concipiuntur, *Si quis ex suis heredibus, suus hæres esse desierit*. Immo verò & illud hic quā in Gallo plenius; quòd siuè prior moriatur nepos, & deindè filius, siuè contra prior

Et bene
verba.

N: et
lum.

prior filius decesserit, adhuc rectissimè pronepos excludet, qui fiat viuo testatore suus: cum tamen in Galli consilio debeat omninò prior decedere nepos, quippè qui tunc nec scriptus erat, nec scribi etiam poterat ex formula; quæ pronepotem nasciturum tentaret excludere. Hic verò tãti sunt ponderis verba legis; vt quilibet omninò in suorum iura succedens, suo quoquè tempore gradatim se reperiat exclusum. Sicquè pronepos excludetur non solum, si nepos (hoc est pater eius) decedat suo adhuc genitore viuente, quo casu pronepos demum auo suo idest filio testatoris defuncto, iura suorum primus acquireret: sed etiam si idem nepos (hoc est pronepotis pater) superuixerit genitori (hoc est filio testatoris, & pronepotis auo) ac deindè eodem testatore viuente decesserit: quo casu licet in suorum iura successerit primum nepos, rumpere tamen non potuit tanquàm à lege vetitus. Quamobrem integrum adhuc mansit ius testamenti; nec à pronepote itidem subuerteretur, qui demum testatore adhuc viuente suus euasit, & lege comprehensus est propter illa verba prægnatia, *Si quis ex suis heredibus. &c.*

quibus

quibus sanè liberi omnes, gradatim in infinitum, suo quiq; tempore excluduntur, cum in suorum iura successerint. Verumtamen quia **Vidē** scriptū est in lege, *Si quis ex suis heredibus suis hæres esse desierit, liberi eius & ceteri in locum suorum sui heredes succedūto.* videamus an ex hoc secundo capite, possit per interpretationem hic definiri casus? filium habes apud hostes, sicquè pendet ius fuitatis: nepotem ex ipso natum in Ciuitate scribis hæredem, aut ex heredem: an sit rectè nepos exclusus, non modo si apud hostes te adhuc viuo filius obierit, (quod dubitationem non habet, cum verè viuo te suus esse desierit, & dederit nepoti locū) sed etiam si te iam defuncto, ibidē non dum reuersus decesserit? quòd habet dubitationē quia nihil est in lege notatum de tēpore, quo testator viuat; nihil tamen exprimit an designat esse suus antè vel post testamentum. Ideò què cum ex lege Cornelia mortuus hoc casu fingatur filius, hora qua captus fuit; promptum esset asserere, quòd etiam antè testamentum decessisse videatur: & sic quòd tunc suus fuerit nepos, cum testabaris, nec vnquam in fuitatis iura successerit: quòd si admitramus, **non**

non pertinebit ad hunc nepotem Velleæ consilium. Cæterum magis probandum est vt rectè sit nepos exclusus, non quidem quasi mortuus fingatur filius præcisè post testamentum, sicquè tunc nepos in filij locum successerit: sed simpliciter quasi viuo patre suus esse desierit, & nepoti fecerit locum. Hoc verò audenter quidem adseuerabis; cum reuerà mortuus sit filius post mortem patris, & fingatur mortuus antè testamentum: sed tamen adseuerandum est; quoniam cū nihil in lege sit expressum de tempore, factus est locus interpretationi comodiori; per quam omninò excludatur nepos: quod præsertim in proposito admittendum arbitror, quia verè filius nec redire vnq̄ potest qui seruus hostium **S** decessit. Porro autem eueniet quādoquè ca- Illeca
sus, quo rectè proficiat testamento adhibita ^{su:}
cautio; tamen in obscuro sit, quo iure proficiat: ecce enim filium habes, ex quo nepotem non dum natum scribis; qui mox patre suo viuento nascitur; & sic consilium egreditur Galli; deinceps adhuc te viuento moritur filius, & suus fit tibi nepos natus: hic sanè ^{Non. f.}
ad primum Velleæ caput non pertinet, quia
suus

suus tibi viuo non nascitur, qui patre suo vi-
 uente nascitur: nec ad secundum, quo non
 alius prohibetur rumpere; quàm qui testamē
 Deniq. ti tempore natus erat. Rursus ad primum
 non spectat, quia illo permittitur, vt nō dum
 natos scribamus vtiliter, qui viuo testatore
 nascantur sui; hic autem nepos, natus est
 non suus. Nec itidem ad secundum quo nati
 nepotis institutio, vel exhæredatio non per-
 mittitur, quæ scilicet nullo fuerat vnquam
 iure prohibita: sed tantum id agitur vt scri-
 ptus ille nequeat rumpere, qui prius rumpere
 potuisset ceu præmaturè fraudatus. Sicquē ni-
 hil aliud hoc secundo capite agitur, quàm vt
 ratum sit testamentum; licet qui testamenti
 tempore suus non erat; viuo adhuc testatore
 in suorum iura succedat; dummodo institu-
 tus reperiatur, aut exhæredatus: cuiusmodi
 nō videtur esse nepos propositus; quippè qui
 non potuit scribi, ceu non dum natus tem-
 pore testamenti. Ideoque cum secundo ca-
 pite legis non permitteretur successurus insti-
 tui, sed vetaretur rumpere: hic autem nepos
 viuente auo nasciturus in ea cōditione esset,
 vt permitti debuerit; quippè qui nullo iure
 ceu

ceu non dum natus permittebatur; videtur
 præspicue constare, quod ad secundum hoc
 caput referri non possit. Equidem crederem ^{Porro.}
 admittendum, vt nepotis huius institutio, vel
 exhæredatio vtilis censeatur post Gallum, &
 Velleam; quamuis nullo iure vetustiori fieri
 potuisset in istum casum. Attamen id ipsum
 apertius Iuliano placet; qui in proposito fa-
 cto, vtrūquē Velleæ caput miscendum exi-
 stimat: vt quamuis non contineatur expres-
 sim alterutro; vtroquē tamen iuncto videat-
 ur perspicue definiri, quod non possit testa-
 mentum euerti. Si quidem illud habet à pri-
 mo capite, quod viuo testatore post testamen-
 tum nascitur, & potest institui non dum na-
 tus; à secundo habet quod iā natus viuo ad-
 huc testatore succedit in locum sui, & rūpe-
 re prohibetur, & hoc iam pridem obtinuit.
 At verò cum recepta sit Iuliani sentētia, quod ^S
 videlicet nepos iste, quamuis testamēti tem- ^{Que-}
 pore nondum natus, possit mox in iura suo- ^{rem?}
 rum, natus succedere, & rumpere prohiberi:
 non ineptè quæremus vtrū ipse scriptus hæ-
 res in casum istū, quo suus erit (si forte eman-
 cipetur ab auo post testamētum, siuē viuo, si
 uē

uè mortuo patre suo) compelli possit ad adu-
 dum, quando ad eum deuoluetur hæreditas?
 vtrum inquam censerit debeat hæres ipso iure
 etiam inuitus, an verè dicemus, quod habeat
 repudiandi vel abstinendi licentiã; & ceu non
 suus, spontè possit adire? Quod certè magis
Quod
magis. probandum est; quis enim diceret, quòd per
 emancipationem suus hæres fiat, qui per eam
 suus hæres esse desinit? Institutus ergo nepos
 nondum natus, qui viuo patre nascatur, ac
 mox ab auo (siuè viuo adhuc, siuè iam mor-
 tuo patre) emancipetur; erit auo demũ
 mortuo hæres voluntarius nõ ne-
 cessarius, & euertere testa-
 mentum vt suus non
 poterit: po-
 terit
 tamen irritum facere non adu-
 do, & ab intestato succe-
 dentibus locum
 cedere.

FINIS.

